Reuerende in Chro Pater,

P. C.

Post ultimas meas Augustâ datas ad R.am V.am, haec acciderunt. Norimbergæ accessi primùm ad D. Ender Bibliopolam, virum honestissimum, humanissimumq; Is deduxit me ad Curiam, ubi D. Harstorfferus tunc inter Senatores detinebatur. Quamprimùm me adesse intellexit, gaudio plenus accurrit, excepit humanissimè, domum suam deduxit medium inter se et D. Ender, stupentibus omnibus, cùm viderent Jesuitam inter duos tales Dominos per Urbis plateas ac fora incedere. Omnes obvij submississimè me salutabant, etiam Prædicantes, qui summâ reuerentiâ subsistebant donec transijssem. Est D. Harstorfferus Vir valde formosus, grauis, modestus, affabilis; tonsus ac serico vestitus more Italico. Ædes habet nitidissimas, Museum bene compositum, in quo quidquid habuit, monstrauit; inter reliquos libros habebat in mensa apertum P. Joannem Crombetium de Perfectione, aiebatq; se summopere eius lectione delectari. Deduxit me deinde ad amicorum ædes, et multa pulchra atq; curiosa monstrauit, tandemq; vespere ad hospitium meum reduxit. Litteras, quas D. Lente ad Sororem suam misit Romæ, tradiderat dedi D. Ender; qui illas tradidit Sorori Domini Lente, quoniam ego ipsemet præ temporis angustia id facere non poteram. Idem D. Ender venit noctu ad hospitium meum, petijtq; exemplar unum Musurgiæ, et unum Oedipi; obtulit quotquot vellem mutuas pecunias, aiens scire se Patres Jesuitas esse fidelissimos in reddendo. Summa lætitia afficiebar, cùm passim ante ædes Lutheranorum viderem pulcherrimas statuas lapideas B. Mariæ Virginis recenti colore obductas ac renouatas. Sunt Norimbergenses omnes, viri, fœminæ, pueri, ac puellæ, humanissimi; omnes me reuerenter salutabant, et mulieres sedentes etiam assurgebant. Explicare verbis non possum quam sublimem conceptum de R.a V.a ingenio ac doctrina habeat D. Harstorfferus, et quotquot notitiam habent librorum R.æ V.æ Obtuli D. Harstorffero Triumphum Cæsareum, qui valde gaudebat dum videret suos versus; et cùm intellexisset causam mutationis, ac mutilationis eorundem, modestissimè acquieuit.

Herbipoli obruerunt me interrogationibus circa R.am V.am Triumph[um] Cæsareum summè omnes laudarunt. Binas ibi accepi a R.a V.a litteras, quæ summopere me et alios recrearunt. Inueni ibidem arcam Musurgiarum à R.a V.a solicitam, omnino integram, unà cum bacillis rabdologicis. De sarcinula R.æ V.æ nihil potui comperire.

In Triffenstein D. Præpositus, D. Decanus, et Procurator vicinæ Carthusiæ, nouerant omnes R.am V.am, aiebantq; se fuisse condiscipulos R.æ V.æ Fuldæ et Moguntiæ. Addebant, R.am V.am fuisse Musicum, et valde gratiosum quondam. Multos scyphos euacuarunt in sanitatem R.æ V.æ,

Francofurti egi cum D. Schönwetter, et cum D. Bayer, Bibliopolis; qui adhuc habent omnia Opera R.æ V.æ et desiderant aliquot exemplaria Oedipi. Summa humanitate me tractarunt. Domino Valentino Pistorio humanissimo obtuli litteras R.æ V.æ, qui eius audito nomine me suscepit, in ædibus per noctem securum detinuit, mane ad summum templum deduxit, prandio excepit, rogauitq; ut quoties Francofurtum venirem, ad suas ædes diuerterem. In naui mercatoria qua Moguntiam vehebar, erant Religiosi, Catholici, Lutherani, Caluinistæ; qui omnes habebant notitiam librorum R.æ V.æ Ostendi illis Synopsin Oedipi, cum effigie Imperatoris, et in maximam rapui admirationem. Dominus quidam Caluinista ibidem profitens vult emere duo aut tria exemplaria Oedipi, et [illegible] illa expectat

Moguntiam appuli biduo ante inchoatam Congregationem, cui intersum: et
quoniam nescio utrum hic sim mansurus, nolui adhuc offerre Eminentissimo
Electori, Reverendissimo Nihusio, et Illustrissimo Boineburgio litteras R.ae V.ae, prae-
sertim cum occupati fuerint in ordinando Nihusio Eminentissimus; quod fa-
ctum fuit festo Regum. Heri mane post meam Missam accessit me in nostra Sa-
cristia venerandus senex Sacerdos, et petiit ut exciperem suam confessionem:
respondi me modo venisse ex Italia, nec habere facultatem excipiendi con-
fessiones: interrogavit, num novissem P. Ath. Kircherum: respondi, novisse
me, et fuisse eius socium: interrogavit, num ego essem ille Authoris
in re litteraria socius, qui Arti Magneticae praefixisset Epistolam: annui, et
interrogavi viri nomen: respondit se vocari Bartholdum Nihusium. Tum
ruit in meos amplexus, collocuti sumus diu, dixi me habere litteras R.ae V.ae
ad ipsum, uti et ad Eminentissimum, et D. Boineburgicum, velletque legere illi,
si foret occasio: respondit non esse intra biduum aut triduum occasionem,
eo quod expectaret Landgravium Darmstadianum (qui hodie advenit) et cras conveniemus. Hodie
mane vero misit ad petendum litteras R.ae V.ae, et multa de R.a V.a sciscitatus est. Doctor ille Her-
bipurgensis est hic et frequenter agit cum nostris Patribus, cuique bona sunt
salva. Modo affuit mihi D. Valentinus Pistorius, qui salutat R.am V.am. Plura
et cum plura scriberem, nunc impedior propter Congregationem. Moguntiae
7. Januarii 1655.

R.ae V.ae servus in Chro.
Gaspar Schott.

+

Reuerendo Patri in Chrō
P. Athanasio Kirchero Soc.tis
IESV.

Roma.